

449

447

453

443

458

438

498

398

548

348

Ende

Anfang

438

Oceanus est, quod orbem cingit totum, quod est mare maximum. Mediterraneum ex oceano fluit et ab occasu in meridiem vergit, deinde ad septentrionem tendit, per medium enim terram usque ad orientem perfunditur, Europam et Asiam Africamque distinguit. In ea autem parte, qua contra aquilonem vergit, Hellespontus dicitur, qui in septentrionem retorquens anfractibus magnis juxta Graecias et Illyricum in angustias VII stadiorum stringitur. Inde diffusus ab aequore patente rursus stringitur et facit Propontidem, qui mox in quingentos passus coarctatur, fitque Bosphorus Thracicus. Inde Pontus Euxinus, a cuius tergo amplissima Palus Maeotis est, quae congregatur ex influxu maris et ex accursu Tanais fluminis de Riphaeis montibus erumpens, et aliarum aquarum accidentium.

Quibus hic dimisis maris mediterranei laudes requiramus. Mediterraneum mare, Africo et Asiatico atque Europico littore terminatum, mille conspicuum insulis, opere Herculis Abilam et Calpen occidentalia promontoria, quae Pomponius columnas Herculis vocat, ad terras demissum nostras ex oceano vetustissimi homines credidere. Ex quo sic Deo sua liberalitate nostris opportunitatibus providente ingens mortalium commodum consecutum est. Quid enim spectare divino praeparante lumine rates humano ex cogitas ingenio et artificio fabrefactas, nunc remigio sulcantes undas, nunc velo tenso ventorum impulsas spiritu, quibus omne grande fertur onus; quid eorum excogitare audaciam, qui se primo undis incognitis et inexpertis flatibus credidere? Horror equidem est. Horum tamen, etsi non semper, ut plurimum tanta fuit fides et audentium fortuna, ut transfretantes peregrinatione longinqua, non dicam cursu solum sed volatu celeri delati, aurum metallaque, vestes purpureas et aromata, lapides pretiosos et ebora occidentis, peregrinas aves et balsama, ligna nostris silvis incognita, gummata et sudores reliquos radicesque non omni solo familiares, ex quibus tam sanis quam aegris corporibus medicamina atque oblectationes sequuntur innumerae. Et quod non minimum humani generis (et) reipublicae bonum est, his agentibus navigationibus maris hujus factum est, ut Cimber et Celta altero orbis angulo nonnumquam sentiant, qui sint Arabes, qui Aegyptii, qui Palaestini et Syri; quid mare rubrum, quid desertum, quid terra sancta, quid Sodoma, quid Judaea, quid et Sabaea nemora sudent; et Hirca-

